FREY

EPISTOLA CRITICA

N. 33

# EPISTOLA CRITICA

DE

# GERMANICO ARATI INTERPRETE

SCRIPSIT

**IOSEPHVS FREY**



CVLMAE
TYPIS EXSCRIPSIT C. BRANDT
A. CIƆIƆCCCLXI

IOSEPHVS FREY ANTONIO KLETTE AMICO S. Amplius tres anni sunt, cum Musei Rhenani vol. XIII p. 409 sqq. scholia quaedam in Germanici Aratea edidi, quibus quantum licuit per librorum inopiam perque muneris officia quibus distinebar operam dedi, ut quae corrupta ac depravata in iis legi intellexeram pro viribus restituerem et emendarem. Quae cum nuper animi causa legerem et inde nescio quid quaerens in Germanici librum incidissem, accidit mihi, ut quod animo remisso et per ludum magis quam serio tractare coeperam magis magisque me caperet atque teneret. conquiruntur undique quae ad poetae verba explicanda aliquid conferre posse videbantur, lectitantur Aratus Avienus Hyginus alii et, ut paucis, mox tamquam de integro ordiens totum me confero ad ea studia quibus antea deditus fui renovanda ac recolenda. Tenebat enim me horum studiorum iucundissima recordatio, tenebat me ipsum in quo versabar argumentum, non aridum id ac sterile, immo delectans maxime et rerum varietate et scriptorum, qui cum prioribus saeculis virorum doctorum et omnino hominum eruditorum animos allexerint, nostris temporibus fere plane iacent neglecti. quare non est quod miremur, si multa adhuc latent in hoc scriptorum genere, quae nondum explorata inquirenti uberrimam disputandi copiam possint praebere, e quibus quae est de Germanico Arati interprete quaestio elegi, de qua paullo accuratius et uberius dissererem, quam tribus abhinc annis factum est. Cum autem quae de hac quaestione disputare mihi in animo est exiguum huius scripturae spatium excessura viderentur, partem tantum eorum huius prooemii opportunitate proferre statui, quam ad te potissimum, amicum optimum, in studiorum communium et amicitiae memoriam mittendam putavi, alia oblata occasione easdem partes suscepturus.

Atque ut inde oriatur dissertatio mea, unde ipsa quaestio mihi originem duxit, liceat mihi pauca de Germanici versu 694 sq. praefari, quo poeta oriente Capricorno parvum Delphinum redire dicit. verba haec sunt:

*omnibus et stellis Cycnus redit et leue Telum*
*et paruus Delphinus et apta Altaria sacris.*

Aratus, cuius interpretem Germanicum esse scis, Delphini v. 690 sqq. mentionem non fecit neque Hyginus Delphinum Capricorno oriente surgere docet. ex Hipparcho autem, qui idem lib. II c. XIII ubi de Arati versu 683 et qui eum secuntur loquitur Delphinum ignorat, intellegimus, Eudoxi hanc fuisse sententiam ab ipso quoque Hipparcho improbatam. dicit enim lib. II c. XIIII in Petav. Vranolog. p. 224: *ὁ δὲ Εὔδοξος ἀγνοεῖ περὶ τῆς Κασσιεπείας καὶ τοῦ Δελφῖνος, οὐ γὰρ τῷ Αἰγόκερῳ συνανατέλλει, ἀλλ' ἡ μὲν Κασσιέπεια τοῖς δυσὶ, τῷ τε τοξότῃ καὶ τῷ Αἰγόκερῳ.... ὁ δὲ Δελφὶς ὅλος τῷ τοξότῃ συνανατέλλει.* Cum autem non sit veri simile, Germanicum ex suae aetatis tabulis astronomicis quae hic de Delphino profert hausisse, — vix enim potest dubitari, quin Eudoxi illa opinio iam a veteribus astronomis graecis refutata Germanici temporibus prorsus obsoleverit — eumque Avienus quoque qui, licet rei ieiunitatem verborum copia ac sententiarum exornare conetur, in iis quae ad rem ipsam pertinent Aratum religiosissime sequi solet de Delphino dicat v. 1260:

*Delphinum patulas promit Capricornus in auras,*

Vossium secutus Mus. Rhen l. s. s. p. 424 sq. Germanicum atque Avienum versiculum quendam in Arati Phaenomenon libris quibus usi sunt legisse statui, qui deest et in iis codicibus qui ad nostram aetatem pervenerunt, et in iis libris mss. defuit quibus uti Hipparcho contigit. Cum vero huiusmodi res difficillimae sint diiudicatu atque id nobis maxime cavendum sit, ne in re quae latius pateat leviter et non satis circumspecte iudicium faciamus, non in uno hoc loco nobis acquiescendum erat sed alia exempla huius quod proposui similia proferantur necesse est, quibus pertractatis demum pro certo poterit affirmari, quid de hac re sit iudicandum, atque via munita erit qua ad cognitionem pervenire possimus, qua ratione Germanicus interpretis munere functus esse videatur. exstant enim loci haud pauci, in quibus Germanicus ab Arato dissidet eique adversatur, quos si quis ad unum omnes colligere vellet, non nego fore ut multa docte et copiose hac de re posset disputare, vereor tamen ne exemplorum innumerabilitas — erunt enim exempla fere innumerabilia, si quem minuta subtilitate carmina pervestigare non pigebit — causam impediat atque conturbet potius, quam quaestionem illustret ac solvat. Quare certis finibus dissertationem meam circumscriptam esse volui gravissimaque quoad ea potui investigare afferre satis duxi, leviora autem atque aliena, quamquam multa reperiuntur in hoc scriptorum genere quae animum alliciant, consulto omisi. quod ut facerem praeterea et spatii et temporis angustiis coactus sum, cum praesertim iam in paucis quos attuli locis explicandis longus sim necesse sit,

quia nec eadem omnium exemplorum est ratio, ita ut de unoquoque loco singillatim quaerendum sit, quae fuerit causa et origo dissensionis, nec facilis est ubique interpretatio. Et cum qui de opera a Germanico in phaenomenis transferendis posita recte et plene indicare studet, ad eam quaestionem semper se referat necesse sit, quos casus expertum sit carmen Arateum et quid interpretes graeci vetustissimi de singulis versibus senserint, non abs re esse videbatur accuratius quam adhuc factum est in hanc rem inquirere. qua de cum multa possint disputari, nonnulla tantum quasi fragmenta quaedam huius quaestionis hic proferam, quae necessaria duxi, ut certa nobis et expedita Germanici Aratique versuum, quos prolaturus sum, evaderet explicandi ratio. Itaque statim rem aggrediar, quae paullo altius repetatur necesse est.

---

‚Aratus, inquit Cicero, homo ignarus astrologiae ornatissimis atque optimis versibus de coelo et stellis scripsit.' Non quaeram, quae fuerit Ciceronis rerum astronomicarum scientia, qua haud raro gloriatur, neque Arati quae fuerit hic nostra quidquam refert. nam non ipse poeta de coelo et stellis quaesivit neque ex sua ipsius sphaerae astronomicae cognitione hausit quae profert, quamquam aliqua utique huius rei peritia ad carmina huius argumenti condenda opus erat, sed Eudoxum Cnidium secutus est, cuius fragmenta adhuc dispersa passim apud veteres scriptores ac praecipue apud Hipparchum leguntur, qui idem unde hauserit poeta coeli stellarumque scientiam his verbis nos docet I p. 173: *ὅτι μὲν οὖν τῇ Εὐδόξου περὶ τῶν φαινομένων ἀναγραφῇ κατηκολούθηκεν ὁ Ἄρατος μάθοι μὲν ἄν τις διὰ πλειόνων παραιθεὶς τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ περὶ ἑκάστου τῶν λεγομένων τὰς τοῦ Εὐδόξου λέξεις... ἀναφέρεται δὲ εἰς τὸν Εὔδοξον β΄ βιβλία περὶ τῶν φαινομένων σύμφωνα κατὰ πάντα σχεδὸν ἀλλήλοις πλὴν ὀλίγων σφόδρα. τὸ μὲν οὖν ἓν αὐτῶν ἐπιγράφεται ἔνοπτρον, τὸ δὲ ἕτερον φαινόμενα. πρὸς τὰ φαινόμενα δὲ τὴν ποίησιν συντέταχεν* (sc. — ὁ Ἄρατος). Arati autem carmen, ut qui ‚ornatissimis atque optimis versibus de coelo et stellis' scripserit et primus nec invita Minerva argumentum versibus tradiderit, quod cognitu aequales dignissimum habebant atque iucundissimum, iam mature non solum ab omnibus legebatur sed interpretes nactum est viros in hac disciplina illo tempore illustrissimos. quod quo maiorem poetae attulit gloriam, tanto maiori fuit detrimento operi eius, cum unusquisque fas sibi esse putaret, in carmine huius argumenti vel addere quae immerito deesse videbantur, vel delere quae aliena putabat, vel immutare quae falsa esse intellegebat. unde factum est, ut carmen ad nostram aetatem non nisi maxime interpolatum ac depravatum pervenerit. Interpretum libri fere omnes temporum iniuria nobis erepti sunt. eorum autem quorum opera adhuc supersunt antiquissimus est Hipparchus astrologus clarissimus, qui Nicaea e Bithyniae urbe oriundus Ol. CLIIII — CLXIII floruit neque igitur plus centum annis Arato minor fuit.

Verumtamen iam tum multos viros doctos in hoc carmine interpretando versatos esse Hipparchus initio operis sui (p. 172) testatur. *Ἐξήγησιν μὲν οὖν τῶν Ἀράτου φαινομένων*, inquit, *καὶ ἄλλοι πλέονες συντετάχασιν, ἐπιμελέστατα δὲ δοκεῖ πάντων Ἄτταλος ὁ καθ' ἡμᾶς μαθηματικὸς τὸν περὶ αὐτῶν πεποιῆσθαι λόγον*. Attali autem quae fuerit ratio ipse te doceat. scribit enim apud Hipp. I p. 178 ad amicum cum alia tum haec: *διὸ δὴ τότε τοῦ Ἀράτου βιβλίον ἐξαπεστάλκαμέν σοι διωρθωμένον ὑφ' ἡμῶν καὶ τὴν ἐξήγησιν αὐτοῦ τοῖς τε φαινομένοις ἕκαστα σύμφωνα ποιήσαντες καὶ τοῖς ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ γεγραμμένοις ἀκόλουθα ... τάχα δέ τινες ἐπιζητοῦσιν, τίνι λόγῳ πεισθέντες φαμὲν ἀκολούθως τῇ τοῦ ποιητοῦ προαιρέσει τὴν διόρθωσιν τοῦ βιβλίου πεποιῆσθαι· ἡμεῖς δ' ἀναγκαιοτάτην αἰτίαν ἀποδίδομεν τὴν τοῦ ποιητοῦ συμφωνίαν.* quam *συμφωνίαν* quomodo efficere Attalus interdum conatus sit, e tribus exemplis cognoscas, quae ab Hipparcho nobis servata sunt.

De Engonasin sidere Aratus v. 69 sq.

*μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ*
*δεξιτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο Δράκοντος.*

quae cum falsa sint, nam non dextro sed sinistro pede Engonasin in capite Draconis insistit, Attalus *δεξιτεροῦ* vocabulum ad *καρήνον* (sic enim legi voluit) referens *μέσσῳ* in *μέσσον* mutavit, Hipparchus autem *ἐν πᾶσι τοῖς βιβλίοις γράφεσθαι* tradit *μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ*.

V. 693 sq. Aratus de Equo oriente sic loquitur:

*Ἵππος δ' Ὑδροχόοιο μέσον περιτελλομένοιο*
*ποσσί τε καὶ κεφαλῇ ἀνελίσσεται.*

Equi igitur caput pedesque surgere dicit poeta *τοῦ Ὑδροχόου* ut Hipparchi verbis utar *κατὰ μέσον τοῦ σώματος ἀνατέλλοντος*. Attalus autem, qui videtur huius versus sententiam non satis percepisse aut non comprobasse, non de medio sed de incipiente ortu Aquarii agi opinans temere poetae verba mutavit atque scripsit:

*Ἵππος δ' Ὑδροχόοιο νέον περιτελλομένοιο.*

V. denique 712 et qui eum secuntur Aratus sidera enumerat quae Ariete surgente exoriantur, quorum in numero etiam Perseus est, de quo haec ipsius verba sunt:

*αὐτὴ δὲ ζώνη καὶ κ' ἀμφήριστα πέλοιτο*
*ἢ Κριῷ λήγοντι φαείνεται ἢ ἐπὶ Ταύρῳ,*
*σὺν τῷ πανσυδίῃ ἀνελίσσεται.*

Eadem fere Hygini est sententia, qui P. A. IIII 12 Aratum secutus ‚cum sidere eodem, inquit, exoritur et Persei caput usque ad umbilicum, ut dubium fore videatur, zona eius utrum usque extremo Ariete, an Tauro primum exoriente prodeat ad lucem. Tauro autem exorto, quae prius dubia fuerint, omnia sunt certa.' haec ille. Attalus vero *ἀμφήριστον εἶναι* dicit, *πότερον ἡ ζώνη τοῦ Περσέως ὑπὲρ γῆς ἤδη φαίνεται τῆς ἀρχῆς τοῦ Κριοῦ πρὸς τῷ ὁρίζοντι οὔσης, ἢ ἀρχομένου ἤδη ἀνατέλλειν τοῦ Ταύρου τότε καὶ αὐτὴ ἀναφέρεται.* quare legendum

esse coniecit: ἢ κριῷ ἀνιόντι φαείνεται κτέ. Hipparchus autem λήγοντι vocem in λήγουσα commutari voluit ὥστε τὸ λήγουσα ἐπὶ τὴν ζώνην ἀναφέρεσθαι, ipse quoque poetam perperam intellegens. nam, ut recte Hyginus Arati verba interpretatus est, non ea de re poeta dubitat, num Persei zona primum exoriente Ariete (τῆς ἀρχῆς τοῦ Κριοῦ πρὸς τῷ ὁρίζοντι οὔσης) prodeat sed Κριοῦ λήγοντος i. e. Ariete toto fere exorto vel, ut vernaculo sermone utar, am ende des widderaufganges, id quod scholiasta quoque probat, qui v. 712 declarans ἐπειδή, inquit, πλησίον εἰσὶν ἀλλήλων τὰ ζώδια ταῦτα, ὅ τε Κριὸς καὶ ὁ Ταῦρος, φησὶν ὅτι καὶ ἀμφίβολον ἂν γένοιτο πότερον αὐτὴ ἡ ζώνη λήγοντι τῷ Κριῷ συνανέρχεται ἢ τοῖς πρώτοις μέρεσι τοῦ Ταύρου. ὅλος μέντοι γε ὑπέργειος γίνεται τοῦ Ταύρου ἀνατέλλοντος. — Haec de Attali coniecturis, quarum quae ad v. 69 sq. exstat in uno tantum codice Paris. Reg. CIƆCIƆCCCCIII quem A littera Bekkerus notavit, altera in omnibus codicibus reperitur, tertia in nullo librò ms. legitur. Duos versus adiciam in quibus iam Hipparchus libros mss. inter se discrepare dicit. I p. 198, ubi Arati versus 467 et 468 affert, γραφομένου διχῶς, inquit, καὶ ἐν οἷς μέν· αὐτοὶ δ' ἀπλατέες, ἐν οἷς δέ· αὐτοὶ δὲ πλατέες, ὁ Ἄτταλός φησι βέλτιον εἶναι· αὐτοὶ δὲ πλατέες. codices nostri omnes et scholia graeca αὐτοὶ δ' ἀπλανέες exhibent praeter unum librum Vindobonensem in quo ἀπλατέες legitur. — II p. 228 de v. 702 Hipparchus haec: διχῶς δὲ γραφομένου ἐν μέν τισιν ἀντιγράφοις· καὶ κ' ἀμφήριστα πέλοιτο, ἐν δέ τισιν· καὶ κ' ἀμφήριστα πέλονται, δεῖ γράφειν πέλοιτο καὶ οὐχ ὡς ὁ Ἄτταλος πέλονται. codices nostri omnes πέλοιτο. —

Sed iam satis de hac re, nisi plura quam fuit necesse. Transeo ad Germanicum.

---

Ordimur a vv. 69 et 70, qui ad haec usque tempora dici nequit quanta crux fuerint interpretum. Cum quid sentiam de hoc loco iam Mus. Rhen. vol. XIII. p. 136 sq. exposuerim neque de sententia mea adhuc decesserim, paucis verbis hos versus absolvam. Arati enim de Engonasin sidere verba:

μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ,
δεξιτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο Δράκοντος

Germanicus sic interpretatus est:

*Serpentis capiti figit uestigia laeua.*

Satis offensionis iam antiquissimo ex tempore viris doctis paraverunt δεξιτεροῦ et *laeua* vocabula. Germanici verba unus Scriverius quantum scio haud feliciter mutare conatus est, qui (cfs. Buhl. ad h. v.) e libro ms. aliquo *scaeua* se dedisse gloriatur. in Arato autem multi multa coniecerunt, quorum agmen ducit Attalus, de quo iam supra locuti sumus. Erravisse enim Aratum, cum dextro pede Engonasin super Draconem stare dicat, nemo est qui neget, nam

non dextro sed sinistro pede Engonasin in capite Draconis insistit; utrum autem inde corrupta habenda sint poetae verba, et si corrupta sunt, quomodo emendari debeant, multum abest quin omnes consentiant. Vossius, qui plurima hic recte indicat, in eo certe falsus est, quod interpretatione nimis artificiosa errorem ita quodammodo removere conatur, ut prorsus aliter Aratum Eudoxumque Engonasin astrum sibi finxisse dicat atque Hipparchum et qui eum secuti sunt astrologi. Engonasin enim, si recte cogitationem eius assecutus sum, brachiis elatis conquiniscentem facit genibus ambobus flexis super Draconem, ita quidem ut pedi dextro Draconis caput subiectum sit. quam sententiam firmare studet versu 270, ubi monstrum *ἐπὶ σκελέεσσι πεπηγός* (vel *πέτηλον*) vocatur, quae quia nimis obscura rem in suspenso relinquunt, argumento esse nequeunt. Grotius duos versus excidisse statuit. Buttmannus vero *δεξιτεροῦ* vocabulum in *λὰξ ἑτέρου* commutavit, quod falsum esse arguunt quae secuntur. nam Engonasin non *λὰξ* Draconis capiti insistit, sed *ποδὸς ἄκρον ἔχει ἐφύπερθε καρήνῳ*. Mauricius Schmidt, cuius exstant in Arati carmen eruditissimae notae, aeque ac Buttmannus librariorum mendum hic subesse ratus *σκολιοῖο* in *σκαιοῖο* mutavit, *δεξιτεροῦ* autem cum *δράκοντος* voce coniunxit, Hyginum, ut fatetur, secutus, qui P. A. II 6 ‚Hercules, inquit, dextro pede nixus sinistro pede capitis eius dextram partem opprimere conatur.' Haec ille. Equidem valde miror quid causae fuerit, cur Hipparchum vir doctus huius mendi auctorem vocet, quem et hoc loco et v. 187 pro *μεγάλοιο* furtim *σκολιοῖο* vocabulum invexisse putat. sic enim haece accipienda esse arbitror: ‚ich glaube die confusion ist durch Hipparch entstanden, welcher durch sein auch v. 187 statt *μεγάλοιο* eingeschwaerztes *σκολιοῖο* das einzig richtige *σκαιοῖο* verdraengte.' quae haud accommodate veritati dicta esse inde colligas, quod Hipparchus hoc ipso loco Attali coniecturam refutans ad libros mss. provocat. cfs. praeterea Hipp. I p. 182, ubi hunc errorem *παρόραμα* esse dicit Eudoxi atque Arati *καὶ οὐχ ἁμάρτημα* atque affert v. 270 sqq. 612 sqq. 591 sqq. Neque vero neglegenda erant, quae de Eudoxo apud Hipparchum I p. 174 prodita sunt: *ἐπὶ δὲ τοῦ ἐν γούνασιν ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν· παρὰ δὲ τὴν κεφαλὴν τοῦ ὄφεως ὁ ἐν γούνασιν ἔστιν, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τὸν δεξιὸν πόδα ἔχων· ὁ δὲ Ἄρατος· μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ κτἑ. παρ' ἑκατέρου αὐτῶν ἠγνόηται κτλ.* unde intellegitur, iam Eudoxum in hac re errasse eumque secutum esse Aratum, cuius verba ob hanc causam mutare non ausim. Schmidtii autem coniectura neminem non verborum structura offendat. quis enim, nisi singillatim eum admonueris, *δεξιτεροῦ* vocem cum *δράκοντος* ac non cum *ποδός* coniungendam esse putet? Igitur ad Germanicum ut revertar, id non dubium esse iudico, quin Arati sententiam falsam esse intellexerit eamque accipere noluerit. Avienus autem Arati verba religiosissime vertit. De Hygino fortasse dubitari potest utrum *σκαιοῖο* legerit an, quod mihi veri similius esse videtur, Arati sententiam cum astrologorum praeceptis conciliare conatus sit.

Proditum est apud Aratum v. 83 sqq. Ophiuchum utroque pede in Scorpione insistere.

*ὁ δ' ἐμμενὲς εὖ ἐπαρηρὼς*
*ποσσὶν ἐπιθλίβει μέγα θηρίον ἀμφοτέροισιν*
*Σκορπίον, ὀφθαλμῷ τε καὶ ἐν θώρηκι βεβηκὼς*
*ὀρθός.*

Haec non effugerunt Hipparchi reprehensionem quippe hominis *φιλοπόνου τε ὁμοῦ καὶ φιλαλήθους*, ut audivit veteribus astrologis. nam I p. 183 *περὶ τοῦ Ὀφιούχου* inquit *λέγων ἰδίως ὁ Ἄρατος ὀρθόν φησι κεῖσθαι αὐτὸν τῇ θέσει βεβηκότα ἔν τε τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦ Σκορπίου καὶ τῷ στήθει. τῇ δὲ ἀριστερᾷ μόνον κνήμῃ βέβηκεν ἀποτετμημένῃ μεταξὺ κειμένῃ τοῦ τε μετώπου καὶ τοῦ στήθους τοῦ Σκορπίου, τὸ δὲ δεξιὸν ἔχει συνεσταλμένον. οὐ δὲ ὁ Εὔδοξος διασαφεῖ, ὅτι ἐστὶν ὀρθός· τὸν γὰρ δεξιὸν πόδα αὐτοῦ ὑπὲρ τὸ σῶμα κεῖσθαί φησι τοῦ Σκορπίου, ὡς καὶ ἔχει τῇ ἀληθείᾳ, καὶ οὐκ ἐπὶ τοῦ στήθους.* Inde haud perperam concludas Eudoxum ad veritatem propius accessisse, ut qui non utroque pede sed sinistro tantum Ophiuchum in fronte vel in oculis draconis stare docuerit. Vtrum recte Hipparchus poetam vituperaveri annon, hic non nostrum est diiudicare, Germanicum autem cum dicat de Ophiucho:

*Scorpios ima pedum tangit, sed planta sinistra*
*in tergo residet, uestigia dextera pendent,*

non cum Arato sed cum Hipparcho facere, neminem fugiat, nisi vero si quis est qui in *tergo* voce haesitans eum Ptolomaei eiusque scholae doctrinam secutum esse arbitretur, cuius qui est sectator Maximus Planudes in schol. cod. Vind. (Buhl. vol. II p. 406) ad h. v. haec adnotavit: *οὐχ οὕτως, ἀλλὰ τὸν μὲν ἀριστερὸν ἔχει πόδα οὐχ ὑπὲρ τὸν ὀφθαλμὸν οὐδὲ τὸ στῆθος τοῦ Σκορπίου, ἀλλ' ὑπὲρ τὸ σῶμα. τὸν δὲ δεξιὸν ἐκτὸς ἔχει τοῦ Σκορπίου.* Aratum ad verbum transfert Avienus v. 238 sqq. *quem super haerentem plantarum mole duarum ·|· Scorpios in geminas effusus uiscera partes ·|· adflictusque oculos maculosaque pectora pressus ·|· sustinet.* neque Cicero fragm. XIIII ap. Buhl. dissentit dicens: *ille tamen nitens grauiter uestigia ponit ·|· atque oculos urget pedibus pectusque Nepaei.* quibuscum Hyginus quoque consentire videtur, qui III 13, Ophiuchus, inquit, inclinatus a capite ut qui resupinari videtur manibus anguem tenens figuratus est.. pede sinistro premens oculos, dextro autem testudini Scorpionis innixus.' —

Pauca sunt, quae de iis Arati versibus, quibus Ophiuchi sideris quemque manibus tenet anguem descriptio finitur, monenda esse videantur. Quae enim de Chelis apud Aratum leguntur vv. 89 et 90:

*νειόθι δὲ σπείρης μεγάλας ἐπιμαίεο Χηλάς,*
*ἀλλ' αἱ μὲν φαέων ἐ π ι μ ε μ φ έ ε ς οὐδὲν ἀγαυαί,*

iam veteres interpretes non vacare offensione monuerunt, cum non obscurae sed lucidae sint Chelarum stellae. quam ob rem Attalus verba *φαέων ἐπιμεμφέες* (sic enim apud Hipp.

I p. 183 haec verba leguntur, quae codices sic scripta exhibent: *φαέων ἐπιδευέες*) de parvo stellarum numero dicta esse putavit e quibus Chelarum sidus constat. quam interpretationem Hipparcho improbatam haud dubie respexit Maximus Planudes in schol. cod. Vind. Neque Germanicum fugit, quam falsa sit Arati sententia, quare quod a veteribus astrologis reprehensum vidit corrigens Arati verba sic interpretatus est v. 88 sq:

*at qua se dorso sinuabit lubricus Anguis*
*insigni caelum perfundent lumine Chelae.*

Mira exstat nescio cuius *insigni* voculae explicatio apud Buhlium ad h. l. ,*Insigni* hic nova significatione sumitur pro *ἀσήμῳ*.' Festus ut solet Aratum sequitur v. 251, *namque hebes ollis* ·|· *ignis et obtuso marcent incendia crine.* —

Ne multus sim in levioribus rebus, locis nonnullis omissis transeo statim ad versus qui inde a versu 140 leguntur septem.

*Virginis at placidae praestanti lumine signat*
*stella humeros. Helicen ignis non clarior ambit,*
*quique micat cauda, quique armum fulget ad ipsum,*
*quique priora tenet uestigia quique secunda,*
*clunibus hirsutis et qui sua sidera reddit.*
*namque aliae quibus expletur ceruixque caputque*
*uatibus ignotae priscis sine honore feruntur.*

Vertit poeta Arati v. 137 sqq. Postquam enim Aratus Virginis astrum descripsit pergit his verbis:

*Τῆς ὑπὲρ ἀμφοτέρων ὤμων εἱλίσσεται ἀστήρ*
*τόσσος μὲν μεγέθει, τοίῃ δ' ἐγκείμενος αἴγλῃ,*
*οἷος καὶ μεγάλης οὐρὴν ὑποφαίνεται Ἄρκτου.*
*δεινὴ γὰρ κείνῃ, δεινοὶ δέ οἱ ἐγγύθεν εἰσίν*
*ἀστέρες· οὐκ ἂν τούς γε ἰδὼν ἐπιτεκμήραιο,*
*οἷός οἱ πρὸ ποδῶν φέρεται καλός τε μέγας τε*
*εἷς μὲν ὑπωμαίων, εἷς δ' ἰξυόθεν κατιόντων,*
*ἄλλος δ' οὐραίοις ὑπὸ γούνασιν. ἀλλ' ἄρα πάντες*
*ἁπλόοι ἄλλοθεν ἄλλος ἀνωνυμίῃ φορέονται.*

Haeserunt iam longo ex tempore viri docti in illis verbis explicandis. Apud Aratum enim v. 142 — 144 trium stellarum fit mentio, quas totidem fere verbis descripsit Festus Avienus v. 360 sqq. *unus ab ore qua sunt prima ferae uestigia praeminet ignis,* ·|· *altera qua pedibus regio est clunalibus ardet* ·|· *stella itidem, genibusque dehinc se tertia promit* ·|· *aemula.* Ciceronem quoque Aratum hoc loco secutum esse fortasse suspicari licet e versus 144 interpretatione, quam Priscianus nobis servavit (cf. Buhl. fr. XVIIII.) *tertia sub caudam ad genus ipsum lumine pandit*

De Germanico autem quid sit iudicandum, quaestio est omnium difficillima, quam editorum quidem non nulli paucis absolvisse sibi visi sunt. Buhlius, qui nimia cum temeritate nodum expediebat, decrevit Germanicum Arati sententiam non intellexisse, illum enim tres tantum stellas afferre hunc quinque. utinam indicasset vir doctus, quam causam fuisse putaret huius erroris. an forte ad tam mediocrem tantum graecae linguae scientiam pervenerit Germanicus, ut Aratum de quinque stellis loqui sibi persuaserit? Sed mittamus has nugas. oportuisse enim Germanicum hoc loco ab Arati sententia discrepare, facile te intellecturum esse spero, si de iis versibus disputaverimus, in quos desinit haec carminis particula: *namque aliae quibus expletur ceruixque caputque* | *uatibus ignotae priscis sine honore feruntur*, quibus respondent Aratea illa: *ἀλλ' ἄρα πάντες* | *ἁπλόοι ἄλλοθεν ἄλλος ἀνωνυμίῃ φορέονται.* Primus quantum scio M. Schmidt in hunc locum diligenter inquisivit, qui de his versibus Philol. vol. VIIII p. 551 sqq. subtili ut solet iudicio disseruit, neque tamen veram esse eam quam proposuit sententiam cuiquam persuaserit. Sex enim Arati phaenomenon versus affert vir doctus, in quibus *ἀλλ' ἄρα* formula poeta usus sit vel ita, ut particula negans antecedat, vel ita ut *ἀλλά* particulae vis *ἄρα* vocabulo addito augeatur, nostri autem loci prorsus diversam putat esse rationem. non negat quidem Avienum *ἀλλ' ἄρα πάντες κτέ* in eo quo usus est phaenomenon exemplari legisse, — Avienus enim Arati verba sic interpretatus est: *non tamen his species non sunt cognomina certa* | *sed permixta simul uolgi uice conuoluuntur* — sed haec verba tantum esse dicit inania quibus nulla subiecta sit sententia, cum non sit perspicuum, quae sint hae stellae, *quae permixtae uolgi uice conuoluuntur.* Arati autem versus iam veteribus interpretibus fuisse obscuros inde apparere dicit, quod in explicandis his versibus in varia omnia ac diversa discedant, cum Germanicus recte stellas illas obscuras, quae in Vrsae cervice et capite exstant, ab Arato significari iudicarit. requiri igitur apud Aratum hoc loco verbum aliquod in quo ‚alii' vel ‚reliqui' vocis notio insit, nil autem esse quod quis possit desiderare in poetae verbis sic scriptis: *οἱ δ' ἄρα πάντες κτλ.*, ut sensus evadat hic: die aber die sich nicht zum bilde gestalten alle kreisen namenlos dort einer dort ein anderer'. Sed haec ex Germanici minime autem ex Arati sententia dicta sunt. nam non alias sed eas ipsas tres stellas quas antea retulit Aratus *ἀνωνυμίῃ φορέεσθαι* dicit. Eudoxus enim apud Hipparchum I p. 174 *ὑπὸ τὴν κεφαλὴν τῆς μεγάλης Ἄρκτου* inquit *οἱ Δίδυμοι κεῖνται, ὑπὸ δὲ τοὺς ὀπισθίους πόδας ὁ Λέων· πρὸ δὲ τῶν ἐμπροσθίων ποδῶν τῆς Ἄρκτου ἀστήρ ἐστι λαμπρός* (addidi hanc vocem quam sensus requirit ex Hipp. I p. 184) *λαμπρότερος δὲ ὑπὸ τὰ ὀπίσθια γόνατα, καὶ ἄλλος ὑπὸ τοὺς ὀπισθίους πόδας.* tres igitur stellas Eudoxus et qui eum secutus est Aratus enumerant extra Vrsae astrum sed prope id sitas. Helices enim sidus in Eudoxi Aratique sphaera multo minus erat, quam posterioris aetatis astrologi depingere id solebant, neque omnes stellae quibus postea efficitur iam Eudoxi temporibus ei erant aggregatae. Neque tamen verum esse Hipparchi iudicium, qui septem tantum stellis veteres astrologos Vrsae sidus descripsisse dicit,

Schaubachius nos docet in notis ad Eratosthenis Catasterismos p. 70. etenim iam Petavius Varr. Diss. lib. III demonstravit, tam pusillam Vrsam coelestem Eudoxi non fuisse, cum arcticum circulum pedes eius anteriores secare docuisset. Defuerunt autem etiam in Eudoxi sphaera Vrsae astro stellae aliquot, quae postea adpictae sunt, atque has stellas, quae Hipparchus in stellarum tabulis Vrsae sideri iam adscriptas repperit, Aratus *ἁπλᾶς ἄλλοθεν ἄλλην ἀνωνυμίῃ φορέεσθαι* dicit, quae poetae verba recte interpretatus est scholiasta graecus: *τουτέστιν ἀκατονόμαστοί εἰσι καὶ οὐ συμπληροῦνται εἰς τύπον.* Haec quin recte se habeant inter eos nulla dubitatio esse potest, qui animum advertant ad poetae verba quae v. 140 sq. leguntur haec: *δεινὴ γὰρ κείνῃ, δεινοὶ δὲ οἱ ἐγγύθεν εἰσίν ‖ ἀστέρες· οὐκ ἄν τούς γε ἰδὼν κτέ.* Nil enim potest esse magis perspicuum, nil certius quam eas stellas a poeta enumerari, quae *ἐγγύθεν τῇ Ἄρκτῳ* i. e. extra Vrsae sidus sitae sunt. Hae autem stellae in Germanici sphaera iam in Helices astrum erant receptae, unde cur ab Arato eum dissentire necesse fuerit facile intellegas. uoluit enim sequi quae falsa esse cognoverat. ideoque, ne omitteret quidquam, sensu immutato dicit: *namque aliae quibus expletur ceruixque caputque e. q. s.* quae eadem a vero non abhorrent. nam stellas septem in Vrsae capite obscuras esse Hyginus quoque docet III c. 1. Quae cum ita sint, non est cur miremur, si quid in iis quae v. 143 sqq. apud Germanicum leguntur verba inest, quod cum Arati sententia non consentiat. id vero te celari nolo, me suspicari versum 143: *quique priora tenet uestigia quique secunda*, qui in duobus libris mss. deest, esse subditicium, cum et *quique* vox quater repetita permolesta sit, nec omnino hic versus expers elegantiae poeta dignus videatur. —

Ad versus pergimus, in quos Cephei sideris descriptio desinit. (v. 184 sq.)

*ἴση οἱ στάθμη νεάτης ἀποτείνεται οὐρῆς* (sc. *Ἄρκτου*)
*ἐς πόδας ἀμφοτέρους, ὅσση ποδὸς ἐς πόδα τείνει.*

Hipparchus I p. 175 non praetermisit quin Eudoxum, cuius sententiam Aratus hic prodidit, reprehenderet, non enim *ἰσόπλευρον* triangulum illud esse ait, sed intervallum inter pedes minus esse *τῶν ἑκατέρων τοῦ ποδὸς πρὸς τὴν οὐρὰν διαστημάτων.* Germanicus Hipparchi reprehensione fortasse motus Arati verba sic interpretatus est:

*quantum latus a pede dextro*
*Cepheus extremam tangit Cynosurida caudam,*
*tantundem ab laeuo distat, minor utraque iungit*
*regula Cepheos uestigia.*

Quid igitur, nonne Germanicum Arati errorem cognovisse atque quae falsa esse intellexerit correxisse putas? nihil, ut mea fert opinio, potest esse magis perspicuum. sedtamen veteres Arati editores non idem senserunt. Buhlius enim docet ,in editionibus antiquioribus locum hunc legi corruptissime ita: *tantundem a laeuo distat minor. utraque iungit ‖ regula. Cepheos uestigia baltheus ambit. ‖ qua latus e. q. s.* quae Grotius ita emendavit atque distinxit:

*tantundem ab laeuo disterminat; utraque iungit*
*regula Cepheos uestigia. Baltheus ambit*
*qua latus e. q. s.*

Verumtamen huius quoque viri doctissimi sagacitati nec successit emendatio melius, nec potuit succedere, cum in una hac re maxime erraret, quod Germanicum Arati ubique simillimum reddere studebat. quo errore ductus quae proxima erant von vidit, nam ut Ciceronis verbis utar (Tusc. III c. 1.) ‚opinioni confirmatae natura ipsa cedit.' quis enim, qui sola Germanici verba considerat neque praeiudicati quidquam huc affert, dubitet, quin post *distat* voc. interpungendum sit, ut *minor* vox cum iis quae secuntur coniuncta ad *regula* pertineat? At Festus Avienus Arati sententiam comprobat quocum Hyginus quoque consentit, qui ‚Cepheus, inquit,.. tanto dissidet internallo pedibus [*a cauda*] Arcti minoris, quantum spatium inter pedes Cephei videtur.' Fatemur ex interpretibus romanis solum Germanicum ab Arato dissentire, sed debere eum consentire negamus. —

Delatum me sentio ad Cassiepiae sideris descriptionem, quam ut paucis verbis attingam Vossius me adducit, qui ad Arati v. 187 sibi persuasit, Germanicum v. 194 sq. Hipparchi auctoritate motum ab Arato dissentire. De Cassiepia enim Germanicus haec dicit:

*clara etiam pernox caelo cum luna refulsit,*
*sed breuis et paucis decorata in sidere flammis.*

Aratus autem haec profert:

*Τοῦ δ' ἄρα δαιμονίη προκυλίνδεται οὐ μάλα πολλή*
*νυκτὶ φαεινομένη παμμήνιδι Κασσιέπεια·*
*οὐ γάρ μιν πολλοὶ καὶ ἐπήμοιβαὶ γανόωσιν*
*ἀστέρες, οἵ μιν πᾶσαν ἐπιῤῥήδην στιχόωσιν.*

Neque haec Arati verba Hipparchi reprehensionem effugerunt, cum paucae quidem sed clarae et lucidae sint Cassiepiae stellae etiam si luna impletur. Non negarim igitur aliqua ex parte esse veri simile, Germanicum Hipparchi verbis eo esse adductum ut aliter atque Avienus Arati versus interpretaretur, dicit enim etiam tempore plenilunii claras esse sideris stellas, non deest tamen si quid video alia quoque dissensionis huius explicandae ratio. Vossius enim Germanicum, interpunctione posita post *οὐ μάλα πολλή*, Arato hanc subiecisse putat sententiam: ‚auch als nicht sehr sternreich (breuis) leuchtet sie hell am vollmond.' quae ego non probo. falso enim vir doctus *breuis* vocem ‚nicht sehr sternreich' interpretatus est, qui est sensus verborum quae secuntur: *et paucis decorata in sidere flammis*, quaeque respondent Arati verbis *οὔ μιν πολλοὶ καὶ ἐπημοιβοὶ γανόωσιν ἀστέρες.* unde nescio an conici possit, Germanicum verba *οὐ μάλα πολλή* coniunxisse quidem cum proximo versu *νυκτὶ φαεινομένῃ κτλ.* sed parvum corpus potius ac non fulgorem Cassiepiae exiguum ab Arato tecte significari sibi persuasisse. Et ne in hac *οὐ πολλή* vocum significatione offendas,

efs. v. 255 ὁ δ' οὐ μάλα πολλὸς ἁπάσας | χῶρος ἔχει. v. 316 Δελφὶς δ' οὐ μάλα πολλὸς κτλ. v. 579 οὐδ' ἂν ἔτ' Ἀρκτοφύλαξ εἴη πολὺς ἀμφοτέρωθεν. — Indicasse satis habeo Germanicum v. 228 sqq. quoque, sed verbo magis quam re ab Arati sententia haud multum dissentire. Aratus enim de Arietis astro haec habet v. 228 sq:

> αὐτὸς μὲν νωθὴς καὶ ἀνάστερος οἷα σελήνῃ
> σκέψασθαι.

quae Festus recte sic interpretatus est: *nam quanti luminis astra | esse solent, aciem quibus aurea luna retundit | marcida lanigeri tantum se forma sub auras | exerit,* Germanicus autem haud accurate ita reddidit: *clara nec est illi facies nec sidera possunt | officiat si Luna sua virtute nitere.**) — V. 272 Grotius, pro *planta erectaque dextra*, quod codices exhibent, *planta qua erecta sinistra* scribendum esse coniecit, ne sibi ipse repugnaret Germanicus, quae nec affirmare nec refellere in animo est, totus enim hic locus miserius est corruptus, quam quem codicis Bambergensis ope destitutus emendare ausim. —

Qui secuntur apud Aratum de Cycni sidere versus ab his verbis ordiuntur v. 275:

> Ἤτοι γὰρ καὶ Ζηνὶ παρατρέχει αἰόλος Ὄρνις.
> ἀλλ' ὁ μὲν ἠερόεις· τὰ δέ οἱ ἔπι τετρήχυνται
> ἀστράσιν οὔτι λίην μεγάλοις, ἀτὰρ οὐ μὲν ἀφαυροῖς.

Ita Vossius. codices enim versus 276 verba ultima sic scripta exhibent: τὰ δέ οἱ ἐπιτετρήχυνται. praeter unum codicem Mosquensem, in quo emendate et eleganter scriptum est: τὰ δέ οἱ πτερὰ τετρήχυνται, ut valde mirer quam inconsiderate egerit Vossius, quippe qui coniecturam suam adeo adamaverit, ut optimam hanc scripturam reiceret. quod autem eam scholiastae tantum probatam neminem romanorum interpretum cognosse dicit, fugit virum doctum cod. Mosq. lectionem a Germanico confirmari, ut qui dicat:

> *multa videbis*
> *stellarum uacua in Cycno, multa ignea rursus*
> *aut medii fulgoris erunt. penna utraque laeta e. q. s.*

Cicero autem et Festus Avienus ceterorum codicum scripturam secuti sunt, quam Bekkerus recte eiecit. —

Etiam in Aquilae sidere describendo Germanicum ab Arati sententia dissentire dicerem, nisi verba eius hoc loco lacuna laborare mihi persuasum esset. Id quidem nullius esse momenti indico, quod omisit quam Aratus et qui accuratissime eum sequi solent Cicero et Avienus iniecerunt Cycni mentionem facere. sed ea quoque neglexisse videtur, quae de ortu huius astri apud Aratum leguntur v. 314, cuius quae sunt de Sagittae atque

*) Arati verba v. 238 Τῶν ὀλίγον Κριοῦ νοτιώτεροι ἀστέρες εἰσίν Germanicus vertit: Hunc aries iuxta e. q. s. velutsi Τῷ δ' vel Τοῦ δ' legisset.

Aquilae sideribus verba facere non possum quin integra hic adscribam:

*Ἔστι δέ τις προτέρω βεβλημένος ἄλλος Ὀϊστός*
*αὐτὸς ἄτερ τόξου· ὁ δέ οἱ παραπέπταται Ὄρνις*
*ἀσσότερον βορέω. σχεδόθεν δέ οἱ ἄλλος ἄηται*
*οὐ τόσσος μεγέθει, χαλεπός γε μὲν ἐξ ἁλὸς ἐλθεῖν*
*νυκτὸς ἀπερχομένης· καί μιν καλέουσιν Ἀητόν.*

In explicandis his versibus Vossius errasse mihi videtur. nam cum verba *χαλεπός γε μὲν ἐξ ἁλὸς ἐλθεῖν* sic interpretatur: ‚doch eifrig steigt er vom meer auf,‘ sanam sententiam desideramus, neque intellexisse videtur vir doctus quae his verbis subicienda sit sententia, quae quid valeant recte vidit scholiasta, qui *ὁ δὲ λόγος*, inquit, *χαλεπὸς οὗτος καὶ δεινὸς ἀνατείλας παριούσης τῆς νυκτός· ἕως γὰρ ἀνατέλλει σὺν τῷ Τοξότῃ ἐν τῷ Χοιὰχ μηνὶ ἤγουν τῷ Δεκεμβρίῳ χειμῶνός ἐστι σημεῖον· διὸ εἶπε, τοῖς πλέουσι χαλεπός, διὰ τὸ τότε κρύος.* Recte igitur Cicero Arati sensum eruit, cum vertat: *non nimis ingenti cum corpore, sed graue moestis* | *ostendit nautis perturbans aequora signum.* Germanici verba haec sunt v. 315:

*Est etiam incertum quo cornu missa Sagitta,*
*quam seruat Iouis ales. habet miracula nulla*
*si coelum adscendit Iouis armiger.* † *hic tamen ardum*
*unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymeden.*

Verba *hic tamen ardum* corrupta sunt. Codex Bambergensis, id quod maxime dolendum est, tres priores versus ut in unius cuiusque sideris descriptione hic quoque omisit, reliqui autem libri in emendando hoc loco nil nos adiuvant. Primus hos versus, qui desunt etiam in editione principe a. CIƆCCCCLXXXVIII et ceteris editionibus antiquioribus, Grotius e codice Susiano antiquissimo edidit versum tertium et qui eum sequitur in hunc modum restituens:

*si coelum ascendit tamen arduus armiger hic est*
*unguibus is nocuis Phrygium rapuit Ganymeden.*

quam coniecturam ‚partim improbabilem partim perspicue falsam in vv. *is nocuis*‘ Orellius recte reiecit, ipse coniciens scribendum esse: *hic Catamitum*, cui voci velut per epexegesin subiungeretur *Phrygium Ganymeden*, quod quamquam belle excogitatum est, vix tamen probabile esse iudico. nam si latino Ganymedis nomine uti voluit poeta, quid opus fuit graecum nomen adicere? Mihi iterum et denuo hos versus perlegenti suspitio exorta est, post *ardum* vel *arduum* vocem versum excidisse, quem aeque ac versus Ciceronis, quem supra attuli de Aquilae signo nautis gravi egisse puto. desiderari enim quidquam quod oppositum sit verbis: *habet miracula* (i. e. stellas eximiae magnitudinis) *nulla*, nec quemquam fugiat, qui animum advertat ad sententiarum ordinem atque nexum, nec fugisse videtur Grotium, quem id egisse facile intellegas, ut duas res contrarias invicem se excipientes efficeret. verum autem eum indagasse valde dubito, cum emendationi eius *unguibus is nocuis* ipsa ratio sententiae obstet. Quid

enim, num Aquilam eam ob causam ‚immortali honore nobilitatam' esse putes a Iove, quod Ganymeden unguibus laceratum deo amanti tradiderit? si quis antem *nocuus* vocabulum ita interpretandum esse putat, ut sit epitheton quod vocant ornans, profecto nil potest excogitari, quod minus sit elegans et magis molestum. neque id omitti debet, totam vim sententiae uno vocabulo *innocuis* deleto esse exstinctam. Nervos autem ea quoque verba non habent, in quae desinit apud Grotium v. 317: *tamen arduus armiger hic est.* frustra enim quaeris, cur armiger hic *arduus* vocetur. Adice quod *arduum* notio interpretatio est vocis *χαλεπός*, quae apud Aratum exstat, unde legentem me hunc locum haec cogitatio usque subit, eandem sententiam hic sequi oportuisse, quae ab Arato *χαλεπός* vocabulo infertur. et qui ratione sententiae diligenter examinata quae tandem oppositio hoc loco requiratur perpenderit, eum non dubitaturum puto, quin optime omnia se habeant, si versum adiecerimus talem, qualis est apud Ciceronem de Aquilae signo nautis gravi. Quare coniecturis abstinens, ubi multa conici possunt, Ciceronis verbis, quae forte fortuna optime quadrant, Germanici versibus insertis — nam non eadem quidem sed similia Germanicum scripsisse iudico — toto hoc loco in hunc modum scripto poetae sententiam me assecutum esse arbitror:

*habet miracula nulla*
*si coelum adscendit Iouis armiger. hic tamen arduum*
*[ostendit nautis perturbans aequora signum.]*
*unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymeden e. q. s.*

Neque vero id tibi offensionem parare debet, quod tam subito ac repente poeta versu ultimo ad fabulam quam profert transit, cum hoc fere semper facere soleat. Versum autem facillime potuisse hoc loco excidere ex iis intellegas, quae Mus. Rhen. l. s. s. p. 410 disserui. —

Proditum est apud Aratum v. 367 sqq. inter Pistricem Gubernaculum Leporem stellas multas et exiguas ‚tenui cum lumine' esse, quibus nec nomen nec formam certam astronomi veteres dederint. *Οἱ δ' ὀλίγῳ μέτρῳ, ὀλίγῃ δ' ἐγκείμενοι αἴγλῃ | μεσσόθι πηδαλίου καὶ Κήτεος εἱλίσσονται | γλαυκοῦ πεπτηῶτες ὑπὸ πλευρῇσι Λαγωοῦ | νώνυμοι· οὐ γὰρ κτέ.* Paullo aliter Eudoxus stellas illas *μεταξὺ τοῦ Ποταμοῦ καὶ τοῦ πηδαλίου τῆς Ἀργοῦς ὑπὸ τὸν Λαγωὸν* collocaverat, quare Hipparchus I p. 144 malitiose magis quam vere Aratum vituperat quod Eudoxum non secutus sit, Attalum quod hoc silentio praetermiserit. Non ignoro, ea quae apud Aratum relata legimus nihil aut non fere multum ab Eudoxi sententia differre, neque attulissem hos versus, nisi Germanicus hic cum Eudoxo consentiret. dicit enim v. 371: *sunt libera coelo | sidera non ullam specie reddentia formam | sub leporis latus auersam post denique puppim | inter et Eridani flexus clauumque carinae.* Cicero et Festus Avienus cum Arato consentiunt. Etiam v. 389 sqq. Germanicus multo accuratius stellarum aliquot situm circumscripsit quam Aratus v. 388 sqq.

Rursus stellae quaedam quae ,obscurae sine nomine cedunt' disputandi materiam praebent. Aratus enim postquam Aquarium et Amnem ,exiguo qui stellarum candore nitescit' descripsit pergit v. 399 sq. his verbis:

*νειόθι Τοξευτῆρος ὑπὸ προτέροισι πόδεσσιν*
*ἄγνωτοι κύκλῳ περιηγέες εἱλίσσονται.*

Stellas notat poeta quibus Eratosthenis aetate nondum in imaginem collectis postea Coronae australi nomen inditum est. *ἄγνωτοι* Grotii coniectura est ab editoribus recepta, libri enim mss. *δινωτοί* vel *δεινωτοί* praebent, quod scholiastae quoque testimonio confirmatur: *τὸ δὲ δινωτοὶ περιηγμένοι εἰς κύκλον.* addit: *οὓς τῶν νεωτέρων τινὲς οὐρανίσκον καλοῦσιν, οἱ δὲ νότιον στέφανον.* Recte autem Vossius animadvertit, si Aratus Coronam nominasset vel significasset, Eratosthenem quoque hoc sidus fuisse allaturum. Romanorum interpretum neque Cicero neque Avienus Coronae mentionem fecit, immo testantur interpretatione sua se non *δινωτοί* sed *ἄγνωτοι* legisse. (Cicero: *obscurae sine nomine cedunt.* Avienus: *queis face sub tenui tenebrosus marceat ignis.*) unus Germanicus posterioris aetatis astrologorum doctrina imbutus coronae notionem praebet, dicit enim: *est et sine honore Corona.* neque vero inde *δινωτοὶ* Germanicum legisse recte conicceres, cum verba eius *sine honore ἄγνωτοι* potius vocabulo respondeant, sed *κύκλῳ* vocabulum coronae notione interpretatus est quam in tabulis suis astronomicis hoc loco cum repperisse verisimile est. —

Altaris signum in quo describendo Arato brevior est Germanicus missum faciens Centaurum paucis absolvam, de cuius situ Germanicus cum v. 414 sqq. haec profert:

*Sunt etiam flammis conmissa inmania membra*
*Centauri, capite atque hirsuto pectore et aluo*
*subter candentes hominem reddentia Chelas,*

interpretatus est Arati verba quae leguntur v. 436 sqq. haece

*Λήεις δ' ἄστρον ἐκεῖνο δύω ὑποκείμενον ἄλλοις·*
*τοῦ γάρ τοι τὰ μὲν ἀνδρὶ ἐοικότα νειόθι κεῖται*
*Σκορπίου, ἱππούραια δ' ὑπὸ σφίσι Χηλαὶ ἔχουσιν.*

quam Arati sententiam reprehendens Hipparchus Centaurum fere totum sub Virgine esse docet. Germanicus igitur utrum Hipparchi libros ante oculos habuerit, an e stellarum tabulis quibus usus est quae profert hauserit, difficile est intellectu. certe in iis quae secuntur cum Arato consentit ac non cum Hipparcho, ut qui id quoque vituperet, quod Aratus Centaurum manum Arae admovere dicit, interesse enim et *θηρίον* et magnam partem Scorpionis. Qui apud Germanicum paullo post secuntur versus duo: *hic erit ille pius Chiron iustissimus omnes | inter nubigenas et magni doctor Achillis,* apud Aratum frustra quaeres, reliqui autem versus tres: *hic humero medium e. q. s.* apud Aratum v. 431 sqq. Centauri sideris descriptionem antecedunt. neque vero in his versibus cum Arato omni ex parte consentit

Germanicus et fortasse concedamus necesse est, veram esse eorum opinionem, quibus suspitio orta est, Germanicum Arati verba quid valeant non esse assecutum. nam quae apud Aratum exstant verba haece: *ἀτὰρ μετόπισθεν ἐοικότα σήματα τεύχοι ┼ νὺξ ἐπὶ παμφανόωντι Θυτηρίῳ, οὔ σε μάλα χρὴ ┼ ἐς νότον, ἀλλ' εὔροιο περισκοπέειν ἀνέμοιο*, quaeque et Theon recte sic explicavit: *μετὰ ταῦτα δὲ ἐπὶ τῷ Θυτηρίῳ τὰ προειρημένα σημεῖα ἀποτελοίη ἡ νύξ*, et Avienus recte interpretatus est v. 874 sqq. prorsus dissentiens Germanicus sic reddidit: *hic* (sc. Centaurus)... *si tenuem traxit nubem stellasque recondit ┼ toto clarus equo uenientes nuntiat euros*, quae toto coelo distant ab Arati sententia.

Haec de sideribus. Sequitur pars altera carminis Aratei, quae est de quinque circulis (*περὶ τῶν ἐν οὐρανῷ κύκλων*). orditur poeta a circuli solstitialis vel tropici Cancri descriptione quae apud Germanicum multis iisque maximis laborat corruptelis, in quibus emendandis dici nequit quantum viri docti se torserint, quicunque Germanici carmini operam navarunt. eorum tamen neminem vera poetae verba assecutum esse puto. nec potuerunt quae vera haberi possint assequi, cum hac una via ad veritatem se perventuros iis persuasum fuerit, si id agerent ut Germanicus tamquam alter Aratus evaderet, quam longissime a vero abhorrere rationem iam ex iis perspicuum est quae adhuc proposui. Vt vero uno in conspectu videas quae sit horum versuum condicio, totum circuli descriptionem quantum fieri potest e codice Bambergensi levibus nonnullis vitiis statim correctis infra scribam, uncis includens ea quae in codice illo optimo et antiquissimo desunt.

*[Celsior ad Borean qui uergit circulus altos*
*et peragit tractus uicinis haud procul Vrsis*
*per Geminos currit medios, uestigia tangit]*
*aurigae plantamque terit Perseida laeuam.*
*transuersae Andromedae latera utraque persecat actus*
*et totam ab humero dextra. summa ungula pulsu*
[diuidit et Sagittiferi medium pernicia crura]
*acris Equi ferit orbis iter. tunc candidus ora*
*Cygnus habet iuxta. cubito lucet super ipsum*
*nixa genu facies et primis ignibus Anguis.*
*effugit at Virgo. totus Leo totus in ipso*
*Cancer. ab aduersis omnem secat ille Leonem*
*clunibus irsutasque iubam per pectoris exit.*
*Cancro fulgentes oculi ceu regula currat*
*per medios sic diuidit latera utraque tangunt.*
[et Geminis humeros et Tauri ungula dextra.]
[radit Ophiuchi humeros uastos fulgere notabis.]

Versus 474 et 475 ἀμέτρους delendos esse viri docti fere omnes consentiunt. qui praeterea in codice Bambergensi desunt versus tres priores nemo dubitabit quin veri sint (cf. quae M. Rhen. l. l. p. 409 sq. disputavi), versum 465 autem, quem Grotius atque Schwartzius partim immutatum servarunt, delendum esse iudico. hunc ut eicerem non solum codicis Bambergensis auctoritate adductus sum, quamquam maxima est huius codicis auctoritas, sed aliis quoque rationibus haec sententia mea confirmatur. Eudoxus enim, quem cum alias tum in circulo quoque Cancri describendo Aratus secutus est, quid de hoc circulo docuerit ex Hipparchi verbis quae I p. 176 leguntur potest cognosci, unde intellegimus, Eudoxum a circulo tropico Cancri tangi docuisse Cancrum Leonem Virginem Anguem Engonasin Ophiuchum Avem Equum Andromedam Perseum Aurigam Geminos. Eadem signa praeter Engonasin et Anguem ordine inverso Aratus affert, cuius verba ne longus essem omisi. restat ut quae astra a Germanico enumerentur, quo ordine sint disposita, in quibus denique Germanicus cum Eudoxo Aratoque consentiat, in quibus dissideat exponendum esse videatur. quae omnia ex brevissimo hoc quem infra posui conspectu apparebit.

| *Arati ordo* | *Eudoxi ordo* | *Germanici ordo* |
|---|---|---|
| Cancer | Gemini | Gemini |
| Leo | Auriga | Auriga |
| Virgo | Perseus | Perseus |
| Anguis | Andromeda | Andromeda |
| Engonasin | Equus | [Sagittifer] |
| Ophiuchus | Avis | Equus |
| Avis | Ophiuchus | Avis |
| Equus | Virgo | Engonasin |
| Andromeda | Leo | Anguis |
| Perseus | Cancer | Virgo |
| Auriga | | Leo |
| Gemini | | Cancer |
| | | [Gemini] |
| | | [Ophiuchus] |

(Cum Arato consentiunt Cicero Avienus Hyginus.)

Quae uncis inclusi ordini repugnant, unde quod iam supra codicis Bambergensis auctoritate nixus statui, spuria haec esse, comprobatur. Duo astra ab Eudoxo allata Aratus omisit, Engonasin et Anguem, quae ambo reperiuntur apud Germanicum, qui ipse Ophiuchi nullam mentionem fecit, quem et Eudoxus affert et qui eum sequitur Aratus. Grotius igitur ne quid deesset versum 475 levi mutatione adhibita suscepit, qui idem Engonasin prorsus reiecit. quae si iusta est emendandi ratio, ea quoque quae de Anguis *primis ignibus* codices

exhibent falsa sint necesse est, quare haec quoque Grotius delevit, ne utique pedem ab Arato Germanicus discederet, quod quomodo effecisse sibi visus sit, ex ipsis poetae verbis e Grotii emendatione infra scriptis intellegas.

*Per Geminorum humeros currit, uestigia tangit* ·|· *Aurigae plantamque tegit Perseida laeuam.*
*transuersae Andromedae secat et latera utraque tactu* ·|· *et totam absque humero dextram: tum candidus ora*
*Cycnus habet, pariterque feri pernicia crura.* ·|· *hac Ophiuchi humeros uastos fulgere notabis.*
*effugit at Virgo: totus Leo, totus in ipso* ·|· *Cancer; ab auersis omnem secat ille Leonem*
*clunibus hirsutique iubam per pectoris exit.* ·|· *Cancro qui fulgent oculi inter regula currit.*

Animadvertas quaeso quot quantisque mutationibus hic opus fuerit, et mecum dubitabis num Grotius, cuius immortalibus de Germanici carmine meritis, quod ingenio sagacissimo sordibus multis liberavit, minime obtrectare audeo, rectam viam in hoc loco emendando sit ingressus. Sed singillatim hos versus persequamur necesse est, ne leviter egisse ac parum considerate viri illius doctissimi coniecturas reiecisse arguamur. V. 461 Grotius e v. 474 suppositicio *humeros* vocem suscepit, neque sic tamen quin dissensionis quidquam remaneret prohibens, cum non per humeros sed per capita Geminorum tropicum Cancri *currere* Eudoxus Aratusque tradiderint. adice quod proximi quoque versus a Graecorum sententia discrepant. Germanicus enim Aurigae *uestigia* et Persei *plantam laeuam* a circulo tangi vult, Aratus autem in circulo esse dicit, ut Hygini verbis utar, ‚Aurigae genu utrumque et sinistrum Persei crus et humerum sinistrum.' Nec minus in versu 464 et qui eum secuntur emendandis Grotium fefellit opinio. quid adduxerit virum doctum ut Germanici verba adeo immutanda esse sibi persuaderet, facile perspicitur, putavit enim poetam falsum esse in eo quod Cygni ora iuxta circulum esse dicit, cum reliqui qui de stellis scripserunt, eius caput vel caput et alam sinistram a tropico Cancri tangi docuerint. versum 465 autem, ut in iis libris quibus Grotio uti contigit scriptus est *(hinc alius rapit orbis iter)* nemo esse potuit quin falsum putaret. Engonasin denique et Anguis sidera ne se ipse desereret Grotius debuit delere. quae qui post eum huic loco operam dedit Schwartzius servanda esse recte iudicavit. suopte enim iudicio posterioris aetatis astrologorum disciplina ac praeceptis instructus Germanicus in ipso carmine vertendo magis magisque uti didicit, ut stellarum tabulis nixus Arati in rebus ipsis ratione vix habita, sed rerum tractandarum modum tantum atque seriem ab Arato sumens, quae ipse vera esse cognoverit ascivisse videatur et prodidisse. Quam sententiam meam ut exemplis confirmem, locos non nullos e tropici Capricorni descriptione afferre satis habeo, cum singula quaevis recensere longum sit. inde enim acceptissimum nobis ratiocinationis nostrae suppetit firmamentum, quod hic accuratius interdum Germanicus siderum partes, quae circulo hiemali tanguntur significat ac describit. exempla infra scripsimus. Germanicus circulum *uelocia crura* Leporis contingere docet, cum Aratus nimis attenuate dicat: ἐν δέ οἵ ἔστι Λαγωός (Hyginus IIII 4 ‚diuidit etiam Leporem fugientem a curribus.') —

Germ. *Desecat et sacrae speciosa aplustria puppis.* Arat. ἐν δέ οἱ Ἀργώ. (Hyg. ‚et nauis ipsius puppim.‘ Eudoxus: καὶ τῆς Ἀργοῦς ἡ πρύμνα καὶ ὁ ἱστός,) — Germ. *canis aluum desecat imum.* Arat. ἀτὰρ κυνὸς οὐ μάλα πολλὴν ┼ αἴνυται, ἀλλ' ὁπόσην ἐπέχει ποσίν. (Hyg. ‚et canis sequentis pedes.‘ Eud. καὶ τοῦ κυνὸς οἱ πόδες καὶ ἡ οὐρά.) Plura exempla circuli aequinoctialis descriptio praebet, unde Germanicum non temere Arati autoritatem sed suum ipsius iudicium sequi perspicitur. Versu igitur 465 deleto quae secuntur intacta relinquo. Iam pervenit nobis disputatio ad versus 472 et qui eum sequitur, qui quomodo emendandi sint multum abest ut viri docti consentiant. A codicis Bambergensis scriptura quam supra attuli ceteri codices ita discrepant, ut *Cancro qua fulgent oculi* et *currit* praebeant unde quae Grotius versum 374 omittens effecit, *Cancro qua fulgent oculi inter regula currit,* parum habent commendationis e *regula* voce haud apposite tam nude pro circuli notione usurpata. accedit quod *per medios* vocabula cum iis quae antecedunt tam arte cohaerere videntur, ut vix quisquam recte ea a Grotio deleta esse concedat. propior mihi e codicis Bambergensis scriptura ad veritatem aditus esse videtur, unde sua sponte hice se praebent versus emendati: *Cancro fulgentes oculi, ceu regula currat* ┼ *per medios, sic diuisi latera utraque tangunt,* ut sententia evadat similis ei quae apud Aratum exstat v. 494 sqq. τὸν δὲ διηνεκέως ὑπένερθε χελείου Καρκίνου (sc. τέμνει) ἵν' ὀφθαλμοὶ κύκλον ἑκάτερθεν ἴοιεν. Cf. Hyg. IIII 2. ‚Cancer autem sic diuiditur medius, ut inter duos oculos eius circulus traiectus existimetur.‘ Et vel sic, ut dicam quod sentio, non desunt quae offensionem habeant. vix enim quemquam de circuli lateribus hoc modo locutum esse mihi possum persuadere, neque vero quamvis multa coniectaverim adhuc mihi contigit, ut quae quis aliqua cum fiducia posset amplecti eruerem. — Revertamur necesse est ad versus 463 et 464, qui licet primo aspectu integerrimi esse videantur, magnam tamen moverunt suspitionem. valde enim dubito, num vera sint verba in quae desinit v. 463 haece: *latera utraque persecat actus* vel *secat utraque latera tactu.* discrepant enim hic codices atque ipsa hac scripturae varietate animo obicitur cogitatio, verba illa a librario aliquo esse profecta, cum praesertim mira exstet similitudo inter haec verba atque ea de quibus modo locuti sumus, *latera utraque tangunt,* ut vel ad eundem versum varias has scripturas pertinere suspiceris. Sin autem vera esset haec sententia, ea quoque falsa esse foret necesse quae secuntur *et totam abs humero dextram* (*abs* enim Grotius coniecit, ut numeris satis faceret) et fuit cum putarem hunc in modum versum esse restituendum: *transmeat Andromedae dextram. summa ungula pulsu e. q. s.* iterum autem ac denuo hos versus pertractans prorsus diversa emendandi ratione usus sum, neque sic tamen omnem ambiguitatem removere potui, quare ad aliorum sagacitatem rem reiciendam putavi.

Restat nobis carminis pars tertia περὶ τῶν ἀντικαταδύσεων καὶ συναντολῶν, qua de Grotius ad versum 582 haec adnotavit: ‚Iam dudum observavi in tertia hac parte aut Germanicum admodum negligentem fuisse in Arato transferendo, aut exscriptores quicquid

repetitum videretur suo more delevisse.' Offendit virum doctum quod Germanicus cum antea tum in hac praesertim carminis parte suo arbitrio utens suaque ipsius rerum astronomicarum scientia fretus magis magisque ab Arato discedit, nec verbis eius vertendis inhaeret, quae quominus pluribus exemplis demonstrem spatii angustiis programmatis prooemio destinati prohibeor, quare in uno exemplo acquiescam necesse est. — Aratus igitur signa enumerans quae Chelis surgentibus occidunt v. 633 sqq. haec dicit:

*καὶ τὸ μὲν (sc. κῆτος) ἐς λοφιὴν τετραμμένον ἄχρι παρ' αὐτήν*
*δύνει, ἀτὰρ Κηφεὺς κεφαλῇ καὶ χειρὶ καὶ ὤμῳ.*

pariter atque Aratus etiam Hyginus Cephei ,caput cum manibus et humeris pervenire ad terram' docet, nec alia fuit Ciceronis sententia atque Avieni, quorum prior Arati verba sic interpretatus est: *illa* (Pistrix) *usque ad spinam mergens se caerula condit.* ⁞ *at Cepheus caput atque humeros palmasque reclinat.* alter quae graece legit apud Aratum latine sic reddidit v. 1163 sqq. *illa tamen uersa in fluuium postrema profundum* ⁞ *tingitur ab spina capiti quae proxima summo est,* ⁞ *undisque succedens Cepheus et uerticem et ulnas* ⁞ *mersatur patulas.* Difficultatis plena sunt Germanici versus 644 sqq., quos Orellius et Buhlius ex emendatione Grotii ita typis exscribendos curaverunt:

*abdit et Andromedae uultus et maxima Pistrix*
*occasu insequitur metuentis Virginis ora:*
*crista super coelo fulget, caput abditur ipsi.*
*regalis Cepheus altis intactus ab undis.*

Quae si sana essent *ipsi* vocabulum ad Pistricem esset referendum cui, modo recte editorum cogitationem assecutus sim, caput occidere, cristam in coelo fulgere arbitrantur. vix autem cuiquam persuaserint, ut Germanicum docuisse credat Pistricis caput Chelis orientibus occidere, quod falsum esse demonstrant Hyginus Avienus Hipparchus alii. Hyginus enim IIII c. 2 ,occidit, inquit, Pistrix reliquo corpore ad ceruices ut caput eius solum videatur.' Avieni verba supra attulimus. Hipparchus autem Pistricis *τὸ ἀπὸ τῆς οὐρᾶς ἕως τῆς λοφιᾶς* mergi dicit. Quae cum ita sint post *fulget* vocabulum interpungendum esse facile mihi concedas, ut omnia quae secuntur ad Cepheum pertineant, quae quomodo restituenda sint ut cognoscamus paullo altius nobis repetendum est. Hipparchus enim II p. 223 de Eudoxo atque Arato haec dicit: *Διαφωνοῦσι δὲ πρὸς τὸ φαινόμενον καὶ ἐν τοῖς περὶ τοῦ Κηφέως. ἥ τε γὰρ κεφαλὴ αὐτοῦ μόνον δύνει καὶ ἀνατέλλει, οἱ δὲ ὦμοι καὶ τὸ στῆθος ἐν τῷ ἀεὶ φανερῷ τμήματι φέρονται.* Eudoxus enim Cephea superiore corporis parte submergi putavit, quocum aliqua ex parte consentit Pseudo-Eratosthenes Catast. XV. *ὁ ἀρκτικὸς κύκλος αὐτὸν ἀπολαμβάνει ἀπὸ ποδῶν ἕως στήθους, τὸ δὲ λοιπὸν εἰς τὸ ἀνὰ μέσον πίπτει αὐτοῦ, τοῦ τε ἀρκτικοῦ καὶ θερινοῦ τροπικοῦ.* Buhlius autem ad Germanici v. 647 haec profert: ,dissentit Germanicus ab Arato. nam cum ille dixisset, Cephea capite manu et humero sub-

mergi verius Cephea intactum ab undis dicit, quia in elevatione Cnidi et similibus Cepheus non occidit'. quae mirum quantum a veritate abhorrent. etenim iam v. 314 Germanicus Cephea *humeris et uertice* mergi docuit, atque horizon Romanorum per Cephei collum transit, horizon Alexandriae autem medium eius corpus secat, ita ut Romanis Cepheus capite tantum occidat Alexandrinis autem capite ac pectore. Ad Aratum autem ut revertar iam unus scholiastarum aliquid apud eum legisse videtur, quod a nostrorum codicum scriptura dissentiat. dicit enim: **καὶ τὸ μὲν κῆτος μέχρι ὤμων καὶ στήθους δύεται. ὁ δὲ Κηφεὺς μόνῃ τῇ κεφαλῇ, τὰ δὲ λοιπὰ αὐτοῦ ἄδυτα, ὅτι ἔνδον ἐστὶν ἐν τῷ βορείῳ.** accedit alius scholiasta, qui quinque versus qui inde a v. 627 leguntur accurate ac diligenter interpretatus sub finem haec habet: **(δύνει) τοῦ δὲ Κηφέως ἡ κεφαλή.** est igitur veri simile ne dicam apertum scholiastas, id quod iam Vossius coniecit, versum Arateum sic scriptum legisse: **ἀτὰρ, Κηφεὺς κεφαλῇ ἀδύτων γε μὲν ἄλλων.** quam scripturam Germanicum secutum atque interpretatum esse iam Vossius monuit, qui idem Germanici versus sic restituisse sibi visus est:

*crista super coelo fulget. caput abditur ipse*
*regalis Cepheus, alias intactus ab undis.*

quam coniecturam hactenus comprobandam indico, ut non alius quae probabiliora possint haberi indagarit. quamquam inde mihi occurrunt captiones quod Germanicus v. 314 eundem Cephea *humeris et uertice* mergi docet. humeros enim Cephei etiam Hyginus ‚extra arcticum circulum constitutos' esse docet. Germanicus autem sibi constans postea quoque, ubi signa enumerat Scorpione oriente occidentia, prorsus omisit Arati de Cepheo verba haec (v. 649 sq.): **ὁ δὲ ζώνῃ τότε Κηφεὺς | γαῖαν ἐπιξύει, τὰ μὲν ἐς κεφαλὴν μάλα πάντα | βάπτων ὠκεανοῖο.** V. 684 autem Arati verba (v. 674 sq.) **καὶ στήθεος ἄχρις | Κηφεὺς ἠῷον παρελαύνεται ὠκεανοῖο** sic vertit: ‚*Radit tellurem rediens . . . Cepheus* —

Haec sunt quae proferre in animo erat exempla, quam messem credas velim multo largiorem eventuram fuisse, si omnia, quae poterant afferri attulissem. sed iam pauca haec exempla sufficiant, unde Germanicum nec uno loco nec in rebus, quae parvi tantum momenti sunt, ab Arato dissentire possit intellegi. Ad eos autem quos tractavimus locos si animum adverteris, non eandem quidem omnium esse rationem intelleges, neque vero te fugiet, semper fere uno altcrove loco excepto eam ob causam Germanicum dissentire, quod astrologi Arato posteriores poetam errasse docuerant. Cum enim Ciceronem perquam tum adolescentulum ad Arati carmen linguae patriae excolendae et ad graeci sermonis elegantiam evehendae ac non rerum astronomicarum studium adduxerit, Avienus autem in fabulis enarrandis adeo sit uberrimus ut fere fabularum magis quam stellarum causa carmen eum condidisse suspiceris, nihilo minus autem Arati verba fidelissime expresserit: Germanicus rationem prorsus diversam secutus est, atque putasse videtur fore ut de civibus suis optime mereretur, si ad eorum cognitionem Arati carmen transferret, ita ut cum paraphrasten magis

quam interpretem Arati agere dixeris. quare non est quod miremur si saepissime eum cum Arato videmus dissidentem. Velut prooemium de suo praemisit, fabulas nonnullas Arato plane intactas addidit. quae apud Aratum non recte disposita intellexit, in meliorem ordinem redegit, plura quae falsa ab Arato prodita esse ex posterioris aetatis astrologorum libris cognovit correxit, ut quasi editionem quandam novam atque ut res fert locis permultis mutatam eamque emendatam Arati carminis adornasse videatur. Vides quanto in errore versentur qui, ubicunque Germanicum ab Arato dissentire comprehendunt, statim vel Arato vel Germanico lucem medicinamque afferre studeant. Neque vero negaverim, etiam nunc saepissime Germanici verba adhiberi posse, quibus vel explicentur Arati verba, vel si corrupta sunt via demonstretur qua possint emendari. maxime autem tum est cavendum ne in errorem inducamur neve quae consulto Germanicus mutavit in Arati carmen inferamus. qua autem ratione eum qui in Arato emendando versatur romanorum interpretum ope uti oporteat, exponere neque propositum mihi est et difficilior est quaestio, quam quae nunc paucis verbis possim absolvere. neque solvisse eam cuiquam contingat, nisi qui diligentissime Ciceronis Germanici Avieni carmina et inter se et cum Arato comparaverit. Quam quaestionem iucunditatis plenam et aptam quae animum capiat atque scriptorum rerumque varietate delectet, in aliud tempus differo. Etenim iam satis est scripturae, quae qualis esse videatur et tuum, mi ANTONI, et aliorum virorum doctorum sit iudicium, qui si propius me accessisse ad veritatem iudicabitis, quam qui ante me has res temptarunt, id satis mihi erit. Vale et amare me perge.

SCRIB. CVLMAE M. APRILI A. CIƆIƆCCCLXI